



V 00th

alte Nr. 209.

Fürstenf. n. 3 andere Schriften

P. VIII. 109.



CHRISTO FAVENTE

PROBLEMATUM
THEOLOGICORUM EX
V. CATECHESIBUS LUTHE-
ranæ parte, quæ est

DE SACRAMENTO
COENAE,

DECADIS PRIMÆ
Problemata VII. VIII. IX. X.

*In Electorali ad Albim Academia,
in disputationem proposita à,*

JOHANN E FÖRSTERO

SS. Th. D. & Prof. Ordinario,

RESPONDENTE
M. GEORGIO GELDNERO
Creilsheimensi Fr.

Ad diem 7. Decemb. horis locog, consuetis

VVITTEBERGÆ,

Typis Johannis Gormanni. Anno 1611.





NOBILISSIMIS

Eruditionis, Humanitatis, omniumque
virtutum laude præclarissimis,
viro, juvenibus, adolescenti;

Dn. HIERONYMO
Dn. JOHAN-FRIDERICO
Dn. CHRISTIANO
Dn. ADAMO

DRESLERIS à Scherffen-
stein in Bransdorff &c.
fratribus germanis.

*Dominis fautoribus atque amicis suis plurimum
honorandis*

mittit theses hæc Theologicas loco
strenæ.

M. Georgius Geltnerus
Resp.



PROBLEMA VII.

*An panis & vinū Eucharisticum, per trans-
substantiationem, uti loquuntur, in essen-
tiam ipsius corporis ac sanguinis Do-
minici, convertantur.*

PROPOSITIO I.

BELUA multarum superstitionum & errorum est
Papatus, attestante, inter alios, vel hoc uno, de
Eucharistia, articulo, quem plurimis βδελυγ-
μάτων variorum inquinamentis fædissimè conspur-
cârunt.

II.

Potissimum & reliquorum basis & radix est monstrum il-
lud horrendū, cui lumen & numen ademptum, *Transsubstantiatio-*
nem dicunt, rem monstruosam monstruoso nomine denotantes.

III.

Obtrusum est istud monstrum Ecclesiæ, in *Concilio Latera-*
nenſi. Anno 1215. in primo mox decreto, cui inter alia & hæc inter-
serta sunt verba, quæ repetita. *Lib. 1. Decretal. cap. 1.*

*Vna verò est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino
Salvatur. In qua idem ipse sacerdos est, sacrificium Iesus Chri-
stus: cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus
panis & vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane
in corpus, & vino in sanguinem potestate divina, ut ad
perficiendum mysterium unitatis, accipiamus ipsi de suo, quod
accepit ipse de nostro.*

A 2

4. Ab

τί τ' λεγόμε-
νον.

IV.

Ab hoc tempore transubstantiatio, pro idolo quodam summa cum veneratione adorando, in Regno occidentalis Antichristi, habita fuit, hodieq; habetur.

V.

Quid autem sibi velit monstrum istud vocis: haud obscure indicat Colsterus Interpres Meretricis Babylonicae non puratus, haec in verba scribens:

Fides Ecclesiae Catholicae docet; vi divinorum verberum, sic transmutari naturam Panis & Vini, ut convertantur in Corpus & Sanguinem Christi, neque post consecrationis verba, panem esse aut vinum, sed Corpus & Sanguinem Domini.

In Enchirid. pag. 313.

VI

Argumenta

Lutheranorum

cum Resp. ad

Except. Jesui-

ca.

Sed aggrediendum est monstrum istud iisdem argumentorum telis, quibus id jam pridem aggressus est B. Chemnicus, quae Bellarminus, responsivunculis quibusdam quidem obtundere voluit: sed non valuit.

Lib. 3. de Sacram. Eucharistiae cap. 23.

VII.

Id ut planum faciamus placet compendio agere, adeoque singula B. Chemnicij argumenta breviter proponere sub *lit. A.* his Jesuitae Responsiones apponere sub *liter. R.* & tandem confutationem nostram singulis opponere, sub *lit. C.*

II X.

I.

I. A. Nomen transubstantionis est Peregrinum, & Scripturae ignotum,

IX.

R. 1. Stultum est cum de re constet, litigare de nomine, 2. licuit concilio Niceno ponere nomen ὁμοούσιος, & Ephesino θεοτόκος.

X.

C. 1 De re non constat e Scriptura, quae utrumque: tum nomen tum rem ignorat .2. Uterque; (a) utriusque; Concilij terminus quo ad rem est ἐγγραφος.

a Ioh. cap. 10. 30. Phil. 2, 6. Luc. cap. 1. 4, 3.

II. II. A.

XI.

II. A. Non ex manifestis certis & firmis Scripturæ testimonijs apertè ostendi & probari potest.

XII.

R. Si nihil pro articulo fidei proponendum est, quod non ex manifestis Scripturis probari possit: certè pro articulo fidei proponi non poterit, quod libri Evangelistarum, & Epistolæ Pauli sint Scripturæ Divinæ,

XIII.

C. *Canisius* in Catech. in cap. de præceptis Ecclesiæ sect. 16. *Nos Scriptura (ait) propter testimonium divini Spiritus in illa loquentis, credere, ad herere, ac tribuere maximam auctoritatem.*

Stapletonus lib. 1. cap. ult.

Scripturæ S. non derogatur, quòd ea testimonium accipiat ab Ecclesia, quamvis habeat majus testimonium à Spiritu Dei, quo auctore scripta est.

XIV.

III. A. Scriptura in ipsa actione Cænæ Eucharistiæ panem appellat.

XV.

R. Pronomen hoc non demonstrat panem materiale.

XVI.

C. Pronomen Hoc panem respicit sed non solum: verùm totum *συμπεπλεγμένον*, constans pane & corpore **CHRISTII**, quorum ille hujus *κοινωνία*. Tantum abest *μετυσία!*

1. Cor. 10. 16.

XVII.

Et sanè quòd vocabulum Panis hic propriè accipiendum: non tantum docet litera per se manifesta in nullum fidei articulum impingens: sed idem etiã cogit nos confiteri *συναφεία* textus Apostolici, cujus nota particula *ὡς*.

1. Cor. 11. 23. 27.

IV. A. transubstantiatio tollit alteram partem materialem Eucharistiæ, eamq; terrenam. panem videlicet.

Iren. lib. 4. cap. 34.

A 3

R. Spe-



XIX.

R. Species sensibiles sunt illud externum elementum.

XX.

C. 1. Peritur principium 2. est ἀντικείμενον ἐν προσκειμένω. 3. Manifeste falsum, de quo Scotus ex Ambrosio.

In Sacramento veritatis non debet esse falsum. At si substantia panis desit, erit falsitas in accidentibus.

XXI.

V. A. Quia accedunt testimonia Patrum, quæ magno numero collecta à Chemnitio, In Examen Concil. Trid. Diss. de Transsubstant.

XXII.

R. Jesuita ea à se fuisse explicata lib. 2.

XXIII.

C. Sed ea multò explicatiora & clariora sunt, quàm ut explicatione Jesuitica implicari aut obscurari possint.

XXIV.

Adscribimus duntaxat unum atq; alterum meridiana luce lucidiora:

Justinus Apolog. 2.

Præfatus πρὸς ἑσῶς, postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus appreciatione leta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi & Ministri distribuunt unicuique presentium, ut participet eum, in quo gratia acta sunt panem vinum & aquam, τὸ εὐχαριστήριον & ἄλλα καὶ ὄντα καὶ ὑδατὶ & ad absentes perferunt: Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia.

Cyprianus ad Magnum filium. Epist. 75.

Quando DOMINVS corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum, quem portabat, indicat adunatum, & quando Sanguinem suum vinum appellat de botris atq; acinis plurimis expressum, atq; in uuum coactum, gregem item nostrum significat commixtione adunata multitudinis copulatum.

XXV.

Ex hætenus quidem vidimus tela, quibus ex nostra parte
Trans.

Transubstantiationis Commentum *oppugnatur*: jam videamus *Confutatio*
etiam ea, quibus Romanensium primipilus *περόμαχος* Bellar- *Argumentorū*
minus illud ex sua parte contra nos *propugnare* nititur. *Romanensium*
4. generum.

XXVI.

Depromit autem illa è quatuor quasi arculis, I. è *Scriptura.*
II. è *Patribus.* III. è *Concilijs,* IV. è *Ratione.*

XXVII.

E. *Scriptura* producit Verba Cœnæ *ὁριστικά*: *Hoc est corpus*
meum lib. III. de Sac. Euch. cap. 19.

XXVIII.

Ubi I. *πεῶτον ψεῦδος*, quòd opinatur Pronomine *HO C*
solum panem notari: cum eo complexus Salvator utrumq; ma-
teriale: tum panem tum corpus *CHRISTI*, & illum qui-
dem *secundariò*, ut hujus *ὄχημα*: hoc autem *primariò* ut *thesaurum*,
qui illo *ὄχηματι* offerebatur. Qua de re in proxima *Disputatione.*

XXIX.

2. Committit *Sophisma* *ὡς τὸ ἐλληπὲς τῆς διαρέσεως*,
argumentando: Non posse corpus de pane prædicari, nisi is,
aut metaphoricè mutetur, quod Calvinisticum; aut transubstine-
tur quod Catholicum.

XXX.

Datur enim tertium quod Lutheranum, videlicet unio Sa-
cramentalis, qua fit, ut disparatum de disparato verissimè præ-
dicetur; ut proinde opus non sit, ad transelementationem Papi-
starum confugere.

XXXI.

II. è *Patribus* multa conglomerat. Nos reponimus in gē-
nere. 1. Nos non Patrum autoritate teneri: sed solius *Scriptu-
ræ*, juxta illud Cælestis *PATRIS*, *Ezech. cap. 20.*

In preceptis meis ambulate, & non in preceptis Patrum.

XXXII.

2. E. *Patribus* peti possunt ac debent, non articulorum fidei
constitutorum *principia*: Sed illorū ex *principijs* *Scripturæ* jam
constitutorū saltem *suffragia.*

XXXIII.

3. Partum *Vox* non est *iudicis*, ut *Scripturæ*: sed saltem, ut
Vox testis, & quidem testis non *εινυπευθής*: sed qui testimoni-
um suum ad normam *Scripturæ* accommodare tenetur.

4. Si

XXXIV.

4. Si Patribus pugnandum: pro nobis iisdem potius pugnant, quam pro Pontificijs, sicut ostendunt eorum testimonia à B. Chemnitio collecta. Ex: C. Trid. in Disp. de Trausf.

XXXV.

5. Discernendi quoq; sunt Patres Orthodoxi à Scholasticis, qui maximam partem Cacodoxi,

XXXVI.

6. Testimonia Patrum, quæ Jesuita profert pleraq; laborant fallacia τῆ παρεπομένῃ. Μεταβολὴν enim de qua illi, & quæ genus, torquet ad suam μετασχηματισμῶν, quæ species μεταβολῆσ.

XXXVII.

7. Adde quòd passim apparet Patres non de mutatione elementari loqui: sed Sacramentali, quæ non consistit, in panis & vini transubstantiatione: sed ad usum Eucharisticum sanctificatione sive separatione.

XXXVIII.

III. E Conciliis numero sex, quæ adducit, ejusmodi sunt, ut vel hac Hieronymi sententia facile obtundi possint:

Spiritus Sancti doctrina est, quæ Canonicis literis prodita est, contra quam si quid statuunt Concilia, neph. is duco. De re enim magna, & complectente salutem animarum agitur.

XXXIX.

IV. E Ratione, quæ fingit gignitq; parum habent momenti, eò quod tum demum valent argumenta è Ratione cum articulus fidei è Scriptura firmiter extractus, siquidem ex illa tantum *secundaria & comprobantia*: ex hac verò *primaria & Probantia* argumenta petantur.

XXXX.

Cetera videbimus in ipso conflictu: Hæc proha c συνόψει εισαγωγῆ & sufficient.

PROBLEMA VIII.

An calix etiam, atq; adeò Sacramentum, sub utraq; sicut loquuntur, specie, integrum, Laicis etiam exhibendum.

Succe.

XLI.
Succedit isti de μετασία affine Problema de ποτηριοκλη- συνέχεια
ψία, quæ illius quippe Soboles & propago genuina. Theologia
CHRISTI.

XLII.
Lutherus, in definitione Sacramenti Cænæ, sonora voce
asseverat, illud pro Christianis esse institutum, ita, ut & cum pa-
ne Corpus manducetur, & cum vino Sanguis ejus bibatur.

XLIII.
Qua generali appellatione non tantùm Ecclesiastici Ordinis
homines, quos Papicolæ Clericos vocant: sed Politici & Oeconomici
etiam Ordinis socij, qui illis Laici, comprehenduntur.

XLIV.
Docet igitur Lutherus nostræq; Ecclesiæ ὀρθοδοξία Luche-
ranæ ὀλυψύχως addictæ, quod omnibus indiscriminatim ad
integram integræ Cænæ perceptionem pateat adit⁹, cujuscunq;
etiam ordinis fuerint; si modò se ipsos probare potuerint, I. Co-
rinth. 11, 28.

XLV.
Sed quid ille de ὁ Αντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος ὑπὲρ πάντα
λεγόμενον θεὸν καὶ σεβασμα τὴν ποτηριοκληψίαν in Ecclesiam, ποτηριοκλη-
NON OBSTANTE institutione CHRISTI, invexit, in con- ψία anti-
cilio Constantiensi, verius, uti Lutherus, ex causa jam indicata, christi.
illud appellat, OBSTATIENSI.

d. 2. Thes. 2. 4.

XLVI.

Verba decreti verè - Antichristiani hæc sunt:

LICET Christus post cenam instituerit, & suis discipulis admini-
straverit subtraq; specie panis & vini hoc venerabile Sacra-
mentum, tamen HOC NON OBSTANTE, Sacrorum ca-
nenum autoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ
servavit, & servat, quod hujusmodi sacramentum non debet
confici, post cenam, neq; à fidelibus recipi non jejunis, nisi
in casu infirmitatis aut alterius necessitatis, à jure vel Ecclesiæ
concesso vel admisso. Et sicut hæc consuetudo ad evitandum ali-
qua pericula & scandala est rationabiliter introducta, QVOD
LICET IN PRIMITIVA ECCLESIA HVIVS-
MODI SACRAMENTVM RECIPERETVR A

B

FIDE-

FIDELIBVS sub VTRAQVE SPECIE, postea à
 CONFICIENTIBVS sub utraq, & à laicis tantummodo
 sub specie panis suscipiatur, cum firmissimè credendum sit, & nul-
 latenus dubitandum, integram Christi corpus & sanguinem,
 tam sub specie panis, quàm sub specie vini, veraciter contineri.
 Unde cum hujusmodi CONSVETUDO ab Eccl. sã & San-
 ctis Patribus rationabiliter introducta & diutissimè obser-
 vata sit, HABENDA EST PRO LEGE, quam non li-
 cet reprobare, aut sine Ecclesie auctoritate prohiberi muta-
 re, &c.

Sels. XIII. d. 15. Junij.

XLVII.

Fundamenta

Scriptura

ἀνασχευασ

ἡ α.

Opponimus nos præcipua Scripturæ fundamenta, quibus
 ἀναντιρρήτως constat ποτηροκλήσιαν omnino pugnare cum
 Scriptura; secus ac Bellarminus probare conatur.

Lib. IV. de Eucharist. Sacr. cap. 24.

XLVIII.

Primum non ordine tantum sed dignitate etiam est Man-
 datum & institutio CHRISTI, qui non alterutrum: sed utrum-
 que simul præcepit & ordinavit, id est & κοινωσίαν Corporis sui
 cum pane, & κοινωσίαν Sanguinis cum vino,

Mat. 26, 28, Marc. 14. 22, 23, Luc. cap. 22, 19, 20.

1. Cor. 11, 23, 24. 1. Cor. 10, 16.

XLIX.

In primis verò observationem meretur singularem, quòd
 Lucas descripturus posteriorem Cænæ partem, connectendi par-
 ticula ὡσαύτως, utitur. Cap. 22. 20.

L.

Digitum quippe indicem quasi intendit ad unitatem Institus-
 tionis CHRISTI à nemine hominum in binitatem dispescen-
 dam.

L I.

Et ab hac, una indivisa actio Eucharistica, ad unam refectio-
 nem Spiritualem ordinata, dependet. Et proinde non binitas: sed
 unitas Sacramenti.

L II.

Secundo huc facit, quòd in parte institutionis posteriore
 apud

apud Matthæum & Marcum additur *universalitatis nota* OMNIS:
Bibite ex hoc OMNES: apud Marcum item universalis hujus
Mandati executio mox interseritur: *Biberant ex eo OMNES*, cap.
14, 23.

LIII.

Bellarminus futili exceptione restringit hæc ad solos Apo-
stolos, quos pro Sacerdotibus habet, insana *Ψευδοπροφῆσς*, Mis-
faticis.

lib. 4. de Sacram. Eucharist. cap. 25.

LIV.

Sed multò major est textus Evangelici evidentia quàm
Sophistæ Papistici impudentia.

LV.

CHRISTUS enim in Sacra illa actione partes *Cenam Ad-*
ministrantis: Apostoli verò vicem & partes *Cenam Sumentium*,
sustinebant.

LVI.

Et ubi quæso pro reliquis etiam Christianis Cæna instituta,
si hic tantum pro Sacerdotibus, siquidem par ratio quoad prio-
rem Cænæ partem?

LVII.

An in Diversorio (e) Emauntico? sed ubi hic CHRISTI
mandatum & Ordinatio, ubi Cænæ Eucharisticæ materialia?
ubi, ut uno verbo dicam, Sacramenti substantialia?

e. Luc. cap. 24, 30.

LVIII.

Tertio accedit, quòd Apostolus toti Ecclesiæ Corinthiæ,
Institutionem Cænæ Dominicæ proponit & religiosissimè com-
mendat.

1. Corin. h. II. 23.

LIX.

Quòd Jesuita excipit: solum ostendi ibi: quòd com-
municatio sub utraq; specie sit libera: non autem quòd sit *necessa-*
ria: id verò in mandatum & institutionem CHRISTI contu-
meliosum est, simulq; comprobatur istud *Luc. cap. 7.*

Justificata est Sapiencia à filijs suis.

B 2

Quarto

LX.

Quarto eodem collimat mandatum CHRISTI Hoc facite, quod ut genus, refertur ad illas actionum species, quas in paragrafo proximè præcedenti præceperat, verbis *accipiendi, edendi, bibendi.*

LXI.

Et sanè licet illud præceptum à Luca positum post priorem duntaxat Cænæ partem : Illud tamen à Paulo posteriori etiam ejus parti subjunctum legitur.

1. Corint. 11. 25.

LXII.

Vani proinde est & inanis Exceptio, quam hic Jesuitæ ex Luca nectere allubuit.

LXIII.

Nolumus plura accumulare Fundamenta *ἀνασκευαστικά*: Sufficiant hæc, quibus ostendimus, pugnare *ποτηριοκλησία* cum Scriptura, & proinde impiam & notorio mendacio infamem esse, isthanc Synodi Tridentinæ sententiam. :

Sancta Synodus declarat & docet nullo Divino mandato Laicos & Clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum, sub utraq; specie sumendum.

Sess. 21. cap. 1.

LXIV.

Quod argumentum ut plenius pertractetur, procedendum nobis ad ea, quæ Bellarminus è Scriptura corradit *ποτηριοκλησία* sacrilegæ fulcra *κατασκευαστικά*, quibusq; sententiam Synodi Tridentinæ jam recitatam probare nititur.

κατασκευαστικά Bellarmini.

Lib. 4. de Sacram. Euchar. cap. 24.

LXV.

1. Primò figuras quasdam affert, R. Augustinus. 1. Figura nihil probat. 2. Ad hæc si figuris stabiliri potest una species: eadem utiq; facilitate stabiliri posset utraq; species itidem figuris, inter quas maxime excellit illa de Melchisede cho.

Gen. cap. 15. 18.

LXVI.

2. Secundo confugit ad cap. 6. 1. ubi quatuor vicibus mentio facta cibi absq; potu

R. Im

LXVII.

R. In eo cap. non de Sacramentali ; sed de Spirituali corpore CHRISTI manducatione agitur. Itaq; ἀπεσθ' διανύσως huc transfertur.

LXVIII.

Addè quòd non cibi saltem : sed potus etiam mentio inibi fiat, unà cum cibo quatuor vicibus.

LXIX.

Quòd autem crebrior sit mentio cibi quàm potus : dependet à miraculo in proximè præcedenti historia edito non in potu cuius nulla : sed in cibo vel panibus , quorum summa penuria.

LXX.

Tertiò obsoletum illud apponit Luc. cap. 24. quod CHRISTUS in diversorio Emauntico , fregit panem, de quo paulo antè. Et sanè dicitur CHRISTUS agnitus non ἐκ τῆς κλάσεως ἀφιολογικῶς : sed ἐν τῇ κλάσει χρονολογικῶς.

LXXI.

Quartò arripit id, quod act. cap. 2. 42. de fractione panis annotatum : At iterū μηδὲν πρὸς ἔπος. Quod enim κλάσει ἀετῆ inibi idem, quod μεταλήψισ τρὸ Φῆσ. cuius legenti obvium est vers. 46.

LXXII.

Tantum etiam de hoc Problemate : Videatur Lutherus Tom. 4. len. fol 321. Tom. 3. f. 514, 529. Tom. 6. f. 101. super sunt adhuc duo, de quibus itidem quàm brevissimè.

PROBLEMA IX.

An panis in Sacra Synaxi cum alio elemento permixtari licitè possit, Et utrum ἄζυμος vel fermentatus usurpari debeat.

LXXIII.

Duo in hoc Problemate quaruntur. Primum est, de pane ipsò cum alio Elemento permixtandus : Posterius verò, de panis qualitate.

B 3.

qualitate, utrum videlicet ἀζυμος vel fermentatus usurpari debe-
at nec ne.

LXXIV.

A. De priori
parte Proble-
matis.

De priori. Apud omnes vere- Christianos in confesso est,
in usu Cænæ Dominicæ panem adhibendum, neq; illum alio
permutandum elemento, sicut nec vinum.

LXXV.

Hæc namq; illius sunt μέγην ἰσχυρὴν καὶ οὐκ ἀπολύειν, quæ si
quis verteret: ipsum hoc sanctissimum Altaris Sacramentum
everteret.

LXXVI.

Sacrilegium igitur est & extremè hæreticum, quòd Beza
cohortis Sacramentariæ Antesignanus scribere non veretur.

Vbi panis aut vini vel nullus est vel nulla certo tempore copia, num
cena Domini nulla celebrabitur? Imò ritè celebratur, si quod
panis aut vini vicem, vel ex usu communi, vel pro temporis
ratione supplet, panis aut vini loco adhibeatur. Epist. 2.

LXXVII.

Et quod Gvilhelmus Bucanus Bezam imitatus disertè affir-
mat:

In ijs regionibus, ubi panis, quem nos habemus, desit, & vinum ha-
beri nequeat, cum mente Christi convenire, ut in ijs terrenis
alimentis & cibis corporalibus utantur, quibus omnes ho-
mines pro pane & vino, cibo & potu utuntur; & factum Inno-
centij octavi probat, quòd, Volaterrano teste, Norvegianis con-
cessit, ut mysticum calicem consecrarent ex mulso.

LXXVIII.

A. De postero-
ri.

De posteriori ἐξ ἄρχῆς illius Mysterij Θειωδέστατος CHRIS-
TUM in primæ Cænæ διατάξει, panem ἀζυμον adhibuisse, ex-
tra omnem dubitationis aleam positum est.

LXXIX.

Celebravit enim illam in diebus (n) τῶν ἀζύμων post
esum agni Paschalis. Quo tempore (o) non alius panis quàm
ἀζυμος apud Judæos in usu erat.

(a) Mat. 26, 17. (o) Exod. 12, 8. Lev. 23, 7.

Idem

LXXX

Jdem quoq; Græcas Ecclesias à tempore Apostolorum observasse, panemq; ἀζυμον in Ecclesia usurpasse, perhibetur,

LXXXI.

Et licet anno CHRISTI 1054. Michael Episcopus Constantinopolitanus panis azymi abrogationem tentarit: victo tam Niceta, Monacho Constantinopolitano, abrogationis istius propugnatore (ab Humberto Monacho Lotharingo, in disputatione, ad quam à Pontifice Constantinopolin Româ ablegatus erat) usus panis azymi in Ecclesia retentus fuit, sicut testantur (p) Scriptores non ignobiles.

(p) Rup. Tuicensis. de div. off. lib. 3. cap. 22.

Petrus Cluniac. lib. 5. epist. 16.

Hist. Magd. cent. 11. cap. 9.

LXXXII.

Latinae autem Ecclesiae aliquandiu fermentato pane fuerunt usæ usq; ad Alexandrum I. Pontificem à Petro VII. juxta Platina & Onuphrij numerationem.

LXXXIII.

Iste primus omnium instituit, ut oblatio ex azymo, non fermentato (ut antea consuevit) fieret pane, teste Polyd. Virg. lib. 5. cap. 10. verbis jam allegatis.

LXXXIV.

Atq; hic mos ad hodiernum usq; diem, in Ecclesiis etiam nostris, retentus fuit.

LXXXV.

Ut igitur quæstio de panis sacri qualitate perspicue & distincte decidatur, geminam ponimus ἀπόφανσιν.

LXXXVI.

I. Panis in cæna usus, ratione qualitatis, est ex numero τῶν ἀδιαφόρων, καὶ ἐν τῷ μέσῳ, κειμένων, (sicut à Nazianzeno nominantur,) ἐν οἷς ἔδεδλωται ἀδελφὸς ἢ ἀδελφή. 1. Cor. xiv. 7. 15.

LXXXVII.

Qua in parte nobis suffragantur etiam nonnulli (q) proceres ex Senatu Zwinglio Calviniano.

(q) Beza

(1)

(9) Beza. Epist. ad quosdam Anglicarum Ecclesiarum fratres. *Panis azymus ne sit, an fermentatus non magnopere putamus laborandum.*

Musc. in Loc. com. fol. 348.

Beuml. contra Synopsin fol. 299.

LXXXVIII.

Detestamur itaq; *ἡ τριτοῦ* illam inter Latinos & Græcos olim tam acerbâ agitâta contentione, ut illi istos *azymitas*; illi verò illos *Fermentarios* odiosè cognominârint, sicut annotavit Algerus (Monachus Corbeiensis) citatus in *Hist. Magd. cent. II. cap. 5. de hæresibus.*

LXXXIX.

Multo autem rectiùs respondit Episcopus græcus in Concilio Florentino. A. D. 1439. celebrato:

De pane sive azymus sive fermentatus fuerit, Græci non curant, dummodo ex tritico constet.

X C.

Neq; illis ex Carolstadij posteris sapientiæ Theologicæ laudem tribuere possumus, qui panis non fermentati usum simpliciter damnant, fermentati autem usum quasi summè necessarium, nimis rigidè & obstinatè urgent.

X C I.

Sicut nec istud Toleti: Lib. 2. Instruct. Sacram. cap. 25.

DEBET esse azymus panis, hoc est, absq; fermento in Ecclesia Latina; in Græca verò cum fermentato: adeò quod peccaret mortaliter Latinus consecrans in Azymo; quia quiq; Ecclesie sue consuetudinem tenetur observare.

X C II.

II. Præferimus tamen panem *ἄζυμον*, propter exemplum Domini maximè *ἀζιωματων*, præsertim cum hæ accedant rationes.

X C III.

I. *Ἄζυμος* enim panis Symbolon est corporis CHRISTI (S) fermento peccati nullatenus polluti, sed planè plenèq; *ἀμιαντος*; in cuius rei typum (τ) præcepit DOMINUS per Moysen, ut omnis oblatio fieret absq; fermento,

(τ) Heb.

(f) Heb. 5. 15. cap. 7. 26. (r) Lev. 2. 11.

XCIV.

2. Idem esse potest ὑπόμνημα sinceritatis cordium necessaria ad dignum & salutarem perceptionem Cænæ Dominicæ, in qua nobis ὄντως apponitur (u) ὁ ἀμνὸς τῆς θείας ἁγίας τῆν ἀμαρταν τῆς κόσμου, cujus (x) σκιά fuit agnus ille Paschalis in V. T. cum pane azymo comedi solitus.

(u) in Canon. conc. Nic. (x) Exod. 12. 8. 1. Cor. 5. 7.

XCIV.

Et quanquam panis noster ἄζυμος non est communis, si quotidianum respicias *familia victum*: communis tamen dici debet ac potest, si *communem Ecclesie spectes usum*.

XCVI.

Quanquam autem panes nostri minutiores aut nummularij, sicut à Gregorio Magno appellantur, exiguæ sunt *quantitatis*: sunt tamen ratione *substantiæ & quidditatis* verus & merus panis, adeoq; vim etiam quandam nutriendi obtinent.

XCVII.

Finuntur enim ex farina cum aqua subacta.

XCIIIX.

Neq; quantitas quicquam *substantiæ* panis vel addit vel adimit. Mica siquidem panis æquæ est panis, atq; ingense ejus massa, ut etiam Philosophiæ tyrunculis est notissimum.

XCIX.

Omnino igitur Sycophanticum est, quòd adversarij panes nostros (c) *spumas tantum & nebulas* panis vocare non etube- scunt; siquidem illi à spuma differunt, omnibus quatuor causa- rum generibus; 1. *efficiente*. 2. *Materia* 3. *Forma*. 4. *Fine*.

(c) Beuml, *contra Synopsin*. fol. 300. itemq; Iodocus Naum & Marpurgensis.

C.

Et si quis est, qui tenuitatis & raritatis causas in placentu- lis nostris exigat: hæ dari possunt; ut videlicet *non tantum in usum quotidianum* servari possint tutius, atq; inter multos *minora* distri- bui *incommodo & periculo*: verum etiam, ne credatur panem illum ventri alendo aut corpori nutriendo esse destinatum.

C

Contra

C I.

Contra quam opinionem profanam & improbam Aposto-
lus gravissimam instituit dehortationem. 1. Cor. II, 20. 21. 22.

C II.

Atq; huc collimat etiam Canon ille concilij Niceni: *Non
multum sumimus, sed parum, ut agnoscamus non ad saturitatem: sed
ad sanctificationem haec sumi.*

PROBLEMA X.

*An necessarium sit, ut minister verbi, in ipso
Cana actu, panem integrum solenniter in par-
ticulas confringat, & quidem eo fine, ut per
hanc panis fractionem corporis CHRIS-
TI fractio vel crucifixio re-
praesentetur.*

C III.

*Affirmativa
Sacramenta-
riorum.*

Sententiam affirmativam tuentur, & in Ecclesiis suis obser-
vant (y) Sacramentarij, nec verentur aperte affirmare, confra-
ctionem panis esse partem Cane principalis & essentialis,
eamq; ad representationem crucifixionis CHRISTI, tam ne-
cessariam, ut nullo modo vel mutari vel omitti possit.

Musculus L, C, fol. 364.

Bez. Epist. I. Guilielmus Bucanus lib. 48. de Cane.

Beumlerus contra Synopsim fol. 392.

Angelscrator Abweiser fol. 4.

*Lib. Marburg. cui tit. Kurzer vnd Schrifftmessiger be-
richt vom Brod brechen. &c.*

Anatomia pag. 9. 11, 28.

C IV.

*Negativa Lu-
theranorum.*

Nos autem *γνησίως* Lutherani *ζητηθέντες* istius partem Nega-
tivam defendimus, adeoq; disertè profitemur, confractionem
panis in particulas, in ipsa publica Cane actione, non esse ne-
cessa-

cessariam; idque subsequentes docent & evineunt rationes.

CV.

I. Ritus iste non est à CHRISIO mandatus.

CVI.

II. Modus τῆς δευτερασίας à nullo Evangelistarum fuit explicatus. Quod omnino fieri oportuisset, si exemplum CHRISTI necessariò foret imitatione exprimendum; vel si aliquid mysterij in illa ceremonia lateret.

CVII.

III. Ritus iste communi totius Ecclesiae consensu non est comprobatus.

CVIII.

IV. Novus ille τῆς δευτερασίας ritus jamdudum ab ipso Calvinistarum Coryphæo non inter necessaria: sed inter adia-
phora vel non-necessaria fuit relatus.

Beza Epist. 2. Et in lib. quæst. & respond. quæst. 194.

CIX.

V. Ritus iste nullum habet usum vel finem, ob quem à novis istis Correctoribus fuerit excogitatus.

CX.

Quæ omnia διεξοδικῶς proposita & exposita in Disputatione nostra de Fractione Panis: Quò Lectorem Φιλομαθῆ, brevitatatis studio, remittimus.

F I N I S.

Rationes Negative V.

testamentum; id est sub prelo dicitur & vincuntur ratione.

I. Ritus ille non esse Cetero mandatum.

CVI.

II. Ritus ille de veteri tempore a Christo Evangelizantibus
non expulsi sunt. Quod omnino non oportet. In exordio
Cetero est de veteri tempore a Christo Evangelizantibus
non expulsi sunt. Quod omnino non oportet. In exordio

III. Ritus ille communis totius Ecclesie conciliari non est

comprobatus.

CIX.

IV. Ritus ille non est de veteri tempore a Christo Evangelizantibus
non expulsi sunt. Quod omnino non oportet. In exordio
Cetero est de veteri tempore a Christo Evangelizantibus
non expulsi sunt. Quod omnino non oportet. In exordio

Dea Epist. 2. Et. lib. quæst. & respond. quæst. 104.

CIX.

V. Ritus ille non habet vim vel vim, ob quam
novus ille Cetero est de veteri tempore a Christo Evangelizantibus
non expulsi sunt. Quod omnino non oportet. In exordio

CX.

Quæ omnia de veteri tempore a Christo Evangelizantibus
non expulsi sunt. Quod omnino non oportet. In exordio
Cetero est de veteri tempore a Christo Evangelizantibus
non expulsi sunt. Quod omnino non oportet. In exordio


F I N I S.

AB: 195067

ULB Halle

3


003 019 209



56.







CHRISTO FAVENTE
PROBLEMATUM
THEOLOGICORUM EX
V. CATECHESIBUS LUTHE-
ranæ parte, quæ est

DE SACRAMENTO
COENAE,
DECADIS PRIMÆ
Problemata VII. VIII. IX. X.

*In Electorali ad Albim Academia,
in disputationem proposita à,*

JOHANNÆ FÖRSTERO

SS. Th. D. & Prof. Ordinario,
RESPONDENTE
M. GEORGIO GELDNERO
Creilsheimensi Fr.

Ad diem 7. Decemb. horis locor, consuetis

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Gormanni. Anno 1611.

